



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Salomonis exe[m]plo etiam alios, apud feminas periclitari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

enim mulierum amoribus ita deditus deprauatusque esset, vt in earum gratiam idolorum cultui se penitus manciparet, in vltionem tanti sceleris, diuina iusticia vinctaque, statim illo e viuis sublato, scidit regnum ipsius, decem tribubus ad Ieroboam translatis, & duabus tantum filio Salomonis Roboamo relictis. Quanto cum gemitu dicit Scriptura: *Et auerterunt mulieres cor eius? tam sapientis? tam pacifici? & quod plus est, iam senis? Cumq; iam esset senex deprauatum est cor eius, ait sacra historia, per mulieres, vt sequeretur deos alienos.* 3. Reg. xi. 3.

Quid non possunt feminae? quid non poterunt apud insipientes? apud ebriosos, apud iuuenes? in ea ciuitate, cuius nulla pars est non plena sordibus? vbi ferè nulla platea, aut semita non est lustrum? vbi pænè omnia compita, omnes viae aut quasi foueae libidinum, aut quasi retia meretricum; vt etiam casti, & qui ab hac re penitus abhorrent, tamen euadere vix possint? Latronum quodammodo excubias videres, commeantium viatorum spolia captantes; aues illices, quae blanditiarum frequentium multitudine ita omnes admodum calles, omnes anfractus ac diuerticula occupassent, vt nullus fermè tam cautus sit, qui non in aliquos insidiarum laqueos incurrat, etiam qui se de plurimis expediuit. Hinc tot ruinae. Hinc animi tam efferati, vt aures ad omnem pietatem obturent; vt poenitentiam omnem exhorrescant, vt misericordiam Dei propellant, vindictam prouocent; bella & hostes excitent; & alios quoque, qui pro illis preces fundunt, impediunt. Clamor luxuriantium obtundit voces orantium. Ad talem ciuitatem, aut populum, aut prouinciam ait Dominus: *Super quo propitius tibi esse potero? filij tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non sunt dij: saturant eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores & emissarij facti sunt: vnusquisq; ad uxorem proximi sui binniebat. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali non ulciscetur anima mea?* Ierem. 7. 7.

VIII.

IX.

Miseret me istorum iuuenum, quos cum aetas, cum sanguis feruidus, cum otium ad talia alliciat; etiam insuper impellit ipsa procacitas & impudentia, immò fraudulentia feminarum, quorum malitia tanta est, vt dicatur etiam ipsorum cacodæmonum astutias

T t t

astutias